



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

7 De fundame[n]to prædicamentalis relationis, & de ratione fundandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

latio denominat subiectum proximum, & non remotum, ut intellectus dicitur referri relatione potentie ad suum actum, anima vero non item, & sic de aliis. Aliquando vero è conuersio relatio denominat subiectum remotum, vel suppositum ipsum, & non proximum, ut filiatione denominat suppositum filium, non vero humanitatem, quamuis probabile sit proxime inesse humanitati, & paternitas proxime dicitur esse in potentia generandi, & tamen non denominat patrem, nisi ipsum suppositum. Ratio autem huius varietatis prouenit ex diuersitate fundamentorum, quæ aliquando secundum eandem proportionem comparantur ad terminos relationum, aliquando vero secundum diuersam, ut inferius magis constabit explicando diuersa genera relationum. Aliquando etiam prouenit ex eo, quod relatio consequitur suum proximum fundamentum, & illud denominat, non prout afficit vel denominat aliud subiectum, sed secundum suam præcitam, & abstractam rationem quomodo accidenti conuenit relatio inherendi: interdum vero relatio consequitur fundamentum, solum prout afficit vel denominat tale subiectum aut suppositum, interdum vero indifferenter sub utraque ratione. Et hæc de subiecto relationis.

SECTIO VII.

De fundamento relationis prædicamentalis.

I. Relatio realis eget reali fundamento.

In fundamentum autem relationis principio statuendum in communi est, omnem relationem realem indigere aliquo reali fundamento. Ita supponitur fere sine probatione aut disputatione ab omnibus scribentibus in hac materia. Et ratio esse videtur, quia relatio ex se non habet propriam entitatem cum ostensum sit non esse rem distinctam ab absolutis: ergo necesse est ut habeat illam saltem idè- tice & secundum rem ab aliquo alio: non habet autem illam à termino, nam terminus est quid extrinsecum & distinctum, entitas vero rei est intrinseca: ergo habet relatio realis suam entitatem à fundamento reali: ergo semper illud requirit. Et confirmatur ac declaratur amplius, nā relatio talis est naturæ ut nec per se fiat, nec sit per se intentia in natura. ergo consequitur & quasi resultat in suo subiecto, posito termino: ergo requirit in subiecto aliquam realem rationem vel causam, ob quam in illo resultat talis relatio, posito tali termino: illa ergo causa vocatur fundamentum reale relationis.

De distinctione fundamenti à subiecto relationis.

II.

Sed ut hæc assertio amplius explicetur, inquiri potest in primis, an oporteat hoc fundamentum esse in re ipsa distinctum à subiecto relationis. Potest autem hoc intelligi aut de proximo subiecto inherentionis, aut de remoto, & quasi fundamentali subiecto quod est ipsa substantia. Et quidem de priori subiecto certum est, non oportere, ut præter illud sit aliud fundamentum relationis ex natura rei ab illo distinctum: alioqui esset abeundum in infinitum. Vnde certum est, relationem æqualitatis, quæ inest quantitati, etiam separata à substantia, non habere aliud fundamentum præter ipsam quantitatem, quia nec fingi potest quale illud sit, nec listeretur in illo alio fundamento, nam illud etiam esset subiectum proximum, & ita respectu illius querendum esset aliud fundamentum: vel si in eo listitur, maiori ratione sistendum erit in ipsa quantitate. Difficultas ergo est de subiecto principali & fundamentali: quod est querere, an respectu substantiæ omnis relatio realis requirat aliquod fundamentum accidentale: distinctum in re ipsa saltem ex natura rei ab ipsa substantia. Multi enim ita sentire videntur. Et ratio esse potest, quia

relatio est accidens. ergo debet conuenire substantiæ medio accide in quo fundetur. Patet consequentia. quia relatio, ut supra dictum est, non distinguitur à parte rei à suo fundamento proximo: ergo ut sic accidens, oportet ut proxime fundetur in accide, nam si immediate conueniret substantiæ, esset in re idem cum illa, & ita non esset accidens, sed substantia.

Et ideo Diuus Thomas quæst. 8. de potent. artic. 2. ad primum ait, nullam relationem posse esse idem cum substantia, quæ est in genere, id est, cum substantia creata: & in 4. cont. Gent. c. 14. versus finem, ait, in creaturis, relationes habere esse dependens, quia earum esse est aliud ab esse substantiæ: & inferius ait, Relatio realiter substantiæ adueniens, & posterum, & imperfectissimum esse habet: posterum quidem, quia non solum præexistit esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio. Ergo ex Diui Thomæ sententia semper relatio supponit in substantia aliud accide in quo fundetur. Vnde i. p. q. 28. artic. 2. ad secundum ait, in creaturis semper relationi supponi aliquid absolutum, quod est alia res ab ipsa relatione. Quod iuxta superius dicta non potest verificari ratione solius fundamenti proximi: ergo saltem ratione substantiæ, quod ibi præcipue Diuus Thomas intendit: ergo inter substantiam & relationem semper intercedit aliquod aliud fundamentum, ratione cuius possit esse relatio alia res ab ipsa substantia. Et confirmatur ex Aristotele 5. Metaph. ubi enumerans fundamenta relationum, semper ponit aliquid à substantia distinctum nempe qualitatem, actionem, vel aliquid huiusmodi. Confirmatur secundo, quia alias in sola materia possent fundari & inniti relationes, quod esse falsum constat, præcipue iuxta communem sententiam, negantem posse in sola materia prima esse aliquid accide.

Aliquæ relationes possunt immediate in substantia fundari, in re ipsa.

Nihilominus dicendum est, necessarium non esse ut fundamentum proximum relationis, sit aliquid accidens, vel res aliqua, aut modus realis, ex natura rei distinctus à primo subiecto relationis. Hec est communis sententia, ut statim referam. Eam vero probo primo, quia nulla est causa aut ratio huius necessitatis. Rationes enim quibus supra probatum est, relationem realem requirere fundamentum reale, non probant, necessarium esse, ut illud fundamentum sit in re distinctum à subiecto. Quia licet in subiecto requiratur realis causa: vel ratio, ob quam posito termino consequatur relatio, tamen illa ratio vel causa esse potest ipsa intrinseca natura talis subiecti & non res aliqua, vel modus ei superadditus. Cur enim, sicut quantitas ex sua naturali conditione & natura habet sufficientem rationem ob quam ad illam consequantur quædam relationes, & similiter qualitas, non poterit etiam substantia simile quippiam habere per se ipsam.

Vnde argumentor secundo inductione, nam sicut duæ quantitates aut albedines referuntur realiter relatione similitudinis vel æqualitatis, ita duæ substantiæ, relatione identitatis specificæ: ergo hæc relatio inest substantiæ absq; accide tali fundamentum, ex natura rei ab illa distincto. Patet consequentia, tum quia vna substantia non est eiusdem speciei cum alia ratione alicuius accidentis, sed ratione suæ met entitatis & propriæ naturæ: tum etiam, quia sicut inter albedinem & similitudinem nihil mediat, ita neque inter substantialem naturam & relationem identitatis specificæ. Antecedens vero sumitur ex D. Thomæ 1. par. q. 28. art. 1. ad secundum, & est expresse Aristotelis 5. Metaphysicæ text. 15. Vbi eodem modo censet de identitate in substantia, quo de similitudine in quantitate, & æqualitate in quantitate. Ex quo etiam sumitur argumentum à paritate rationis, nā tanta est conue-

conuenientia inter duas substantias, sicut inter duas albedines, vel quantitates, item tanta est proportio, quia eque sunt eiusdem ordinis: ergo tam est relatio realitatis specifica in substantia, sicut similitudo & aequalitas in quantitate & qualitate. Et ita docent frequenter Thomistae. Soncin. 5. Metaph. q. 35. lauell. Metaph. q. 21.

VI. Aliud exemplum est de relatione creationis, nam hæc (ex sententia omnium) realis est, & predicamentalis, tamen immediate fundatur in substantia. Quod docet expresse D. Thomas q. 7. de potent. ar. 9. ad quartum, ubi licet ait: *Creatura refertur ad Deum secundum suam substantiam, sicut secundum causam relationis, secundum vero relationem ipsam formaliter, sicut aliquid dicitur simile secundum qualitatem causaliter, secundum similitudinem formaliter.* Et idem fuitur ex quæst. 3. de potent. art. 3. Et ex Caiet. 1. par. quæst. 45. artic. 3. Ferrar. 4. cont. Gent. cap. 14. Soncin. 5. Metaphys. quæst. 31. & lauel. quæst. 21. Et patet ratione, quia substantia secundum se ipsam immediate terminat creationem Dei: ergo per se ipsam immediate refertur ad Deum relatione creaturæ. Dices, creationem passiuam esse modum quandam ex natura rei distinctum à termino, in quo potest proxime fundari illa relatio, & non immediate in substantia. Respondeo primum licet totum concedatur, nihilominus non dari aliquid accidens quod sit fundamentum illius relationis, quia illa dependentia creatiua non est accidens, vt supra diximus. Deinde, licet verum sit in illa dependentia posse fundari propriam quandam relationem, tamen ideo non excluditur quin ipsamet substantia per se ipsam referatur causaliter seu fundamentaliter in Deum quatenus illa ipsa, ratione sui esse, essentialiter postulat illam dependentiam, & illam per se ipsam terminat.

VII. Et confirmatur in relatione filiationis, quæ non potest ita fundari in generatione actiua vel passiuâ, vt illi proxime insit, nam transacta actuali generatione permanet relatio filiationis. Nec potest fundari in alio accidente, quia nullum est, quod sit causa eius: fundatur ergo in ipsamet substantia. Ratio autem est, quia substantia ipsa creaturæ, quatenus creabilis est, vel generabilis ab alia causa, est sufficiens, vt in ea possit fundari relatio, si à tali causa creata, vel genita sit.

VIII. Ad argumenta in contrarium respondetur ex superius dictis de diuisione entis in substantiam & accidens, proprium & physicum accidens non posse esse in re omnino idem cum substantia: accidens vero predicamentale interdum posse sola ratione ratiocinata distingui, vt patet de duratione. Sic ergo dicendum est, relationes quæ proxime in substantia fundantur, non esse accidentia physica, & quoad entitatem suam, sed solum esse accidentia predicamentalia, quoad figuram & modum prædicationis, quia secundum rationem formalem suam sunt extra rationem substantiæ, & ideo non est inconueniens quod tales relationes non distinguantur in re à substantia.

IX. Testimonia vero ibi citata ex D. Thoma probabiliter suadent, illum sensisse relationem realem distinguere aliquo modo ex natura rei à fundamento, quæ est probabilis sententia. Quia vero in quarto contra Gentem dicit, talem relationem conuenire substantiæ medio alio accidente, quod non potest vniuersaliter esse verum, etiam supposita illa sententia, ideo probabile mihi est, ipsum loqui de relationibus quæ physice & realiter accidentia sunt, & ideo fortasse eam vocat *relationem quæ realiter substantia aduenit*, sicut mihi loquitur, & ideo etiam exempla ponit in similitudine & æqualitate, non in aliis. Aliter Ferrar exponit, cum D. Thomas ait, relationem præexigere in substantia esse aliorum accidentium, intelligi vel secundum rem, vel secundum modum. Sed hoc violentum est, & non potest omnibus his relationibus Tom. II. Metaphys.

bus accommodari, vt patet de relatione actus & potentie inter materiam & formam: de relatione vnionis substantialis, & similibus. Ad testimonium Aristotelis responderetur, potius esse in contrarium quomodo autem intelligenda sit diuisio fundamentorum relationis ab ipso tradita, in sequenti sectione declarabimus. Ad vltimam vero confirmationem concedimus plures relationes posse esse proxime in materia, vt relatio potentie, relatio cause materialis, relatio vnionis, creaturæ, & similes. Et quidquid sit de accidentibus physicis, de his predicamentis libus, & sola ratione distinctis, nullum est inconueniens esse proxime in materia, vt per se notum videtur.

De ratione fundandi, & comparisonis illius ad fundamentum.

X. Vltius vero inquiri potest circa relationis fundamentum, an idem sit cum ratione fundandi, vel si hæc sint diuersa, quæ sit vtriusque ratio & necessitas. Est autem causa dubitandi, quia fundamentum relationis nihil aliud esse videtur, quam id quo mediante relatio conuenit subiecto, sed hoc ipsum fundamentum est ratio fundandi seu recipiendi relationem: ergo hæc non distinguuntur. Item quia si præter fundamentum oportet aliam rationem fundandi interuenire, nullus esset terminus in his fundamentis vel rationibus assignandis: nulla est enim ratio cur magis sit duplex, quam triplex, vel quadruplex: ergo sistendum est in vno fundamento, quod ipsum sit ratio fundandi. Imo, vt diximus, nec fundamentum hoc oportet semper esse re distinctum à subiecto relationis, sed ratione sufficit aliquando, nam subiectum dicitur quatenus est id cui in est relatio: fundamentum vero in quantum habet talem rationem, ad quam relatio consequitur posito termino, vel in quantum ab illo habet relatio entitatem suam.

XI. In contrarium vero est, quia sæpissime authores de his vt de distinctis loquuntur, & indicant: rationem fundandi esse aliquid requisitum in ipso fundamento, vel ultra fundamentum & terminum, vt relatio resultet. Vt ad relationem paternitatis necessaria est actio generandi, quæ non est fundamentum, quia paternitas non habet ab illa entitatem suam, cum actio generandi sit in filio genito, paternitas vero sit in patre: est ergo ratio fundandi. Similiter, licet inter duo alba albedo sit fundamentum similitudinis, proxima tamen ratio fundandi dicitur esse vnitas formalis vtriusque albedinis. Vnde, cum fundamenta relationum possint esse innumera, rationes tamen fundandi ad tria tantum capita ab Aristotele reuocantur, vt sequenti sectione videbimus: est ergo ratio fundandi aliquid aliud à fundamento.

XII. In hac re potest esse nonnulla diuersitas in vsu vocum, nam apud authores interdum hæc voces confunduntur, & pro eadem sumi, interdum diuersis rebus tribuuntur: explicabimus ergo prius quomodo res se habeat, & deinde vsu vocum accommodabimus. In omni ergo relatione reali requiritur ex parte subiecti res aliqua, natura sua apta & accommodata, vt fundare possit respectum ad aliud, vt ab illa proxime habeat relatio realitatem suam, eo modo quo declarauimus. Huiusmodi ergo res proprie appellatur fundamentum relationis in quocunque relationibus, vt præter totam entitatem subiecti & fundamenti requiratur aliqua alia conditio medians inter fundamentum & terminum, & in re ipsa aliquo modo distincta ab ipsis, vt possit inter ea confurgere relatio. Atque hoc modo est necessaria actio, vel generatio, ad relationem agentis, seu patris, & fortasse eodem modo materia supponit modum vnionis ac relationem vnionis. Quod enim huiusmodi conditio sit simpliciter necessaria, & explicari facile potest in actio,

actione, nam si Petrus & Paulus (qui nunc sunt pater & filius) essent immediate creati à Deo cum omnibus proprietatibus absolutis, quas nunc habent, si inter eos non intervenisset actio generationis, & processions unus ab alio, non fuisset inter eos exorta relatio, nec de potentia absoluta fieri posset ut oriretur: tunc vero adiuncta sola illa conditione, statim resultat relatio: ergo est illa conditio simpliciter necessaria. Et tamen non est fundamentum, per hanc vocem intelligendo illud in quo, & à quo relatio proxime habet entitatem suam. Vnde factum est, ut talis conditio, ratio fundandi appellata sit, vel quia non est aliud speciale nomen: quo nominetur, præter illud commune, quo vocatur conditio necessaria, vel quia illa conditio est quasi ultimus, seu proxime requisita, ut relatio pullulet. Re tamen vera non tam proprie dicitur ratio fundandi, quam conditio necessaria, quia ratio alicuius rei proprie dicitur, quæ habet aliquem influxum per se in talem rem, præsertim formalem, aut effectuum secundum rem, vel rationem: hæc vero conditio in presenti non habet talem influxum in relationem paternitatis, cum sit extra ipsum patrem: & nullam habeat in illum propriam causalitatem: est ergo magis proprie necessaria conditio.

XIII. Non est autem hoc generale in omnibus relationibus, ut requirant similes conditiones, ex natura rei distinctas à fundamentis, & terminis actu existentibus, ut consurgant. Nam inter duo alba statim consurgit relatio similitudinis, à quocunque facta sint, & ubicunque existant, aut quæcunque alias conditiones habeant: & idem est de relatione scientiæ ad scibile, & similibus. Et ita huiusmodi ratio fundandi, etiam si hac voce illam conditionem appellemus, non est necessaria in omnibus relationibus. Omnibus autem fundamentis relationis commune est, ut habeant aliquam naturalem proprietatem, vel conditionem, ratione cuius apta sit ad fundandam relationem: quæ proprietates respectu talis fundamenti potest appellari ratio fundandi relationem. Ut verbi gratia, scientiæ creatæ naturale est, ut mensurabilis ab obiecto scibile, ratione cuius potest fundare relationem ad illud. Similiter tali formæ, verbi gratia, albedini naturale est, ut habeat talem unitatem formalem, qualem habere etiam potest alia forma eiusdem speciei. hæc ergo est ratio, ob quam talis forma potest fundare relationem similitudinis. Atque hoc modo etiam in relatione paternitatis, vel cuiuslibet agentis creati, præter actionem ipsam, consideranda necessario est aliqua ratio fundandi per se conveniens ipsi fundamento. Ponamus enim tale fundamentum esse ipsum principium efficiendi, siue proximum, siue principale. in hoc ipso principio aliqua ratio consideranda est, ob quam esse possit relationis fundamentum, nam in divina actione ad extra, quam vis in Deo sit verum principium efficiendi, non tamen resultat in ipso Deo relatio realis, quia illud principium non est aptum fundamentum illius relationis, ut infra dicemus. Ergo, si principium efficiens creatum est aptum fundamentum, oportet ut in eo assignetur aliqua ratio intrinseca connaturalis, ob quam est natura sua aptum fundamentum relationis realis, ut verbi gratia, quod est principium per se ordinatum ad actionem, vel aliquid huiusmodi, de quo infra videbimus.

XIV. Sicigitur, quantum ad rem ipsam, constat in omni fundamento intervenire rationem fundandi per se & intrinsecam. Constat item hæc duo physice & in re ipsa non esse distincta, metaphysice vero seu ratione distingui ad explicandas rerum rationes: & hoc modo posse etiam diversis vocibus denominari. Nos vero ne videamur res multiplicare, rationes has fundandi in fundamentis includimus. Vnde quidam ita loquuntur ut dicant, fundamentum, formaliter loquendo, non esse, verbi gratia, qualitatem absolu-

te, sed qualitatem ut vnam. Vide Hispanens, in 1. dist. 13. q. 1. art. 3. notab. 4. At vero conditionem necessariam (quando intercedit) hoc communi nomine appellamus. Iam vero occurrebat hic quaestio de distinctione fundamentorum, aut rationum fundandi ab Aristotele tradita in 5. Metaph. c. 15. tamen quia proximiorum sermonem postulat, de illa instituimus propriam sectionem, post sequentem.

SECTIO VIII.

De termino prædicamentalis relationis.



Icendum in primis est, ad relationem prædicamentalem necessarium esse actum terminum realem. Hæc assertio in communi sumpta fere est communis omnium, & facile colligi potest ex intrinseca ratione relationis. Cum enim essentia eius sit ad aliud se habere secundum suum esse essentiale, in hoc ipso includitur terminus: cumque relatio hæc prædicamentalis, & realis sit, terminus eius realem esse necesse est. Sed in explicandis conditionibus requisitis ex parte termini ad esse relationis, & quomodo huiusmodi terminus ad essentiam relationis concurrat, multa tractari solent, quæ à nobis breviter indicanda, & expedienda sunt.

An requiratur terminus actu existens.

PRIMUM est, an terminus relationis realis prædicamentalis requiratur terminum realem actu existentem. Et ratio difficultatis est, quia ordo realis transcendentalis potest esse ad rem, quæ non existit, imò & ad id, quod non est verum ens, sed ens rationis, ut supra dictum est: quid ergo habet relatio prædicamentalis, cur non possit similem terminum respicere? Et confirmatur ac declaratur, nam scientia perinde respicit scibile, quando illud non existit, ac quando existit, quia scientia abstrahit à singularibus, & ab existentia. Item productum refertur ad producibile, teste Aristot. 5. Metaph. producibile autem, ut sic non requirit existentiam. Item imago, & phantasma, & similia, quæ repræsentant rem existentem, & non existentem, & albedo existens, tam est similis in essentia alteri albedini possibili, sicut existenti, nam eandem convenientiam habet cum illa, in natura & essentia. Similiter effectus causæ finalis æque pendet à fine existente, & non existente. Ratio denique à priori esse potest, quia nec ex parte relationis, nec ex parte termini, seu ex munere terminandi videtur necessaria hæc actualis existentia termini. Primum patet, quia relatio habet entitatem suam à fundamento: ergo ex parte eius illud sufficit ad existentiam relationis. Secundum patet, quia terminare actum, solum dicit denominationem extrinsecam ex habitudine alterius ad rem, quæ terminare dicitur: ergo talis denominatio potest cadere in rem non existentem, quantum est ex parte eius.

Atque hanc opinionem sequitur Gregor. in 1. dist. 28. quæst. 23. Qui etiam addit, etiam è conuerso, non ens posse referri realiter ad ens: putat enim, relationi realia semper esse mutua: quod fundamentum falsum est, ut infra videbimus. Et ipsum consequens quod insert, valde est improbabile, qui enim intelligi potest, ut quod mihi est actus referatur relatione reali? aut quomodo potest accidens existere sine subiecto reali. Denique nihil est reale actu, nisi actu existat: ergo nec relatio potest esse realis actu, nisi sit rei actu existentis, quia non potest aliter existere, nisi etiam subsistat. Itaque de correlative reali, quod possit esse non ens, improbabile est illa opinio, ut patet etiam ex duabus sectionibus præcedentibus: de termino vero terminus improbabilis est.